



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Ob Imperfectionem voluntarij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Ratio præcipua sit, quia ejusmodi opus submissum nec ex se est reservatum, nec ex Pontificis nova reservatione.

35. *Deces*; At per regulam Juris leg. unica, C. de re uxoria actione, cap. Ecclesia 1. in lite pendente: Subrogatum sapit naturam eius, cuius loco subrogatur. Sed facilis est Responsio, id verum esse in favorabilibus, non in odiosis. Alias responsiones vide apud Sanchez lib. 4. in Dec. c. 46. & Castr. Pal. 2. 3. 11. 5. d. 2. de vobis, p. 11. n. 5.

An jejunium subrogatum voto Castitatis perpetuæ, cesset perveniente anno sexagesimo ætatis, & similia. Vide infra, lib. 4. c. 5. de Jejunio, §. 7. a. 189.

Vide etiam de Lugo lib. 4. Resp. mor. d. 41. ubi rectè nonnet petentem commutationem, vel dispensationem materię subrogatæ cuilibet voto, multò magis reservato, debere explicare ipsum votum; ut scilicet dispensans, vel commutans gravitatem vinculi cognoscat, nec plus æque de promissione temerè remittat.

Vota reservata, an aliquando ab inferioribus Papa dispensentur?

36. Tertia difficultas, An ad sit aliqua exceptio, ita ut Episcopus, aliique similis jurisdictionis, valeant in aliquo eventu dispensare, vel saltem commutare vota reservata? Assero adesse quatuor. Prima habetur à necessitate, Secunda ab imperfectione voluntarij, Tertia à consuetudine, Quarta à privilegio: habe de singulis.

Necessitas.

37. Petrus voto Castitatis strictus Bertam virginem violavit, cuius honor, nisi Petrus eam ducat, nequit reparari, si tamen expectanda sit Summi Pontificis dispensatio, metur interim, ne à cognatis alterutrus res impediatur. Idem erit, si Petrus morti proximus, ni Bertam duceret, relinqueret filios illegitimos, vel orirentur graves discordiæ inter cognatos, vel familia. Poterit tunc inferior Papa, verbi gratia, Episcopus dispensare? Respondeo cum Less. Suar. Pont. Barb. Sanch. apud Castro Pal. d. disp. 2. p. 12. n. 4. posse ex præsumpta Pontificis voluntate; sic enim bonum Ecclesiæ regimen postulat, ut in extraordinariis hujusmodi urgentibus causis non desit remedium. Hanc potestatem non concedi privilegiatis, mox dicam n. 49.

38. Nota duo. Alterum: Si posset esse recursus ad aliquem, cui specialis facultas à Papa dispensandi in reservationis commissa fuisset, non posse tunc Episcopum docet sententia communior. Ita iidem apud eundem n. 5. quid tunc non esset urgens necessitas, jam enim in promptu esset, qui adiri posset: At probabile puto, etiam tunc Episcopum posse. Ita Henr. lib. 8. de pun. c. 10. n. 1. & lib. 12. de mat. c. 3. n. 1. Avil. de cens. 2. p. c. 7. d. 1. d. 6. not. 4. aliique; quia per accidens est, quod ejusmodi potens delegatus præsto sit; nec inde tollitur ab Episcopo potestas, quæ valde amplè gaudet in casibus hujusmodi necessariis.

39. Alterum: Potest tunc Episcopus id duntaxat, quod necessitas postulat, & non amplius, quare mortua hæc uxor, verbi gratia, non licebit Petro aliam ducere; atque si idem fornicetur, si se polluat, si adulteret, addet hujusmodi peccatis peccatum contra Religionem, id est, contra proprium votum; quia hoc non fuit dispensatum, nisi ad effectum illius peculiaris matrimonij.

40. Quid, si periculum, quod immineret, esset spirituale, v.g. rationabilis sæpe timor violandi votum, dum expectatur Papæ rescriptum? Respondeo, multò magis judicandum propter eandem posse Episcopum: Ita iidem apud eundem Castro Pal. l. c. n. 4. sed puto hunc casum, præsertim in nostris regionibus, non valde Romæ distantibus, rarum fore; quia non longa est mora, quæ te continere debeas.

Imperfectio voluntarij.

41. Si Votum reservatum, v.g. Castitatis emittatur ex metu, etiam levi, incusso ad extorquendum votum, quamvis ex sententia aliquorum sit validum (nam in probabilissima non esse validum, sup. nos docuimus) non esse

tamen reservatum iidem fatentur. Ita Nav. cap. 12. n. 69. Less. lib. 2. c. 49. d. 18. n. 127. quia votum per injuriam extortum non præsumitur ita à Pontifice approbati, ut reservatum velic, ne scilicet is iniquitati favere videatur.

Gutierrez lib. 2. Canon. questionum, c. 12. n. 49. aliique apud ipsum, omnia vota reservata emissa ab iis, qui sub dominativa potestate vivunt, posse putant ab Episcopo dispensari; quia si irritati possunt ab iis, quibus subduntur, non est credibile Pontificem ea sibi reservare voluisse. Sed quia potestas irritandi est satis diversa à potestate dispensandi, unde, non valet illatio unius ab alia; nec Sanch. nec Suar. nec Castro Pal. d. 2. de voto, p. 12. n. 12. citans Suar. Sanc. eam sententiã admittunt; nec igitur ego.

Consuetudo.

42. In jure nulli, ne Legato quidem à latere, ex Castro ibid. n. 1. concessa est facultas dispensandi in prædictis quicquid reservatis. At concessæ est alicui ex legitima consuetudine? Invenio Episcopos, similique jurisdictione fungentes, posse ex consuetudine ob incontinentiæ periculum dispensare ad petendum debitum ei, qui castitatis votum emisit, si sit conjugatus: Verum id clarior indiget explicatione, quam sequentibus dictis jam subdo.

43. Dico primò. Ei, qui, cum sit solutus, emittit castitatis votum, nullus nisi Summus Pontifex dispensare votum potest, nec absolute, nec ad effectum contrahendi matrimonium. At si idem, non obtemperante dispensatione, nihilominus (certè cum peccato) contrahat matrimonium (quod certò est validum, quia supponimus hoc esse votum castitatis simplex) etiam si nondum consummaverit, poterit Episcopus dispensare ad petendum debitum, manente voto firmo, quoad cætera alia, v.g. ad non fornicandum, ad non se pollendum, ad castitatem servandam, mortuo conjugæ, &c. Atque hic est casus, qui ex consuetudine concessus est prædictis Papæ inferioribus, ex omnium sententia.

44. Dico secundò. Ei, qui post contractum matrimonium votum castitatis emisit sine licentia conjugis, qui non cesserit juri petendi, potest Episcopus dispensare; sed tunc non dispensat, nisi jure proprio, cum hoc non sit votum castitatis absolute, sed partialiter, scilicet non petendi debitum: absolute enim castitatem nulliter vover conjugatus, cum is reddere semper debitum ex obligatione iustitiæ teneatur.

45. Dico tertio. Ei, qui castitatem vovit cum licentia conjugis cedentis juri petendi, vel quod idem est, iis conjugatis, qui mutuo consensu idem votum castitatis emittunt, quamvis aliqui negent, posse Episcopum dispensare, quia hi tunc tenentur non cohabitare simul, atque adeo non habent periculum incontinentiæ, quod est radix prædictæ consuetudinis; tamen probabile iudico posse, quia vivente conjugæ, quamvis in alia domo, semper subest incontinentiæ periculum. Multò magis, quia esto hoc periculum fuerit radix, tamen occasione illius inducitur est absoluta consuetudo, quæ in conjugatis possit modo prædicto ab Episcopo dispensari: patet, quia si esset ob solum, prædictumque periculum, non esset diversa hæc potestas consuetudine inducitur, ab ea, quam urgente necessitate spirituali habent Episcopi, de qua diximus n. 40.

Privilegium.

46. Ex Privilegio posse Mendicantes, quinque eorum facultatum sunt participes, vota omnia secularium ad se accedentium, præter illa quinque reservata, dispensare, vel commutare, notum est omnibus. Tria autem ejusmodi privilegia reperio,

Primum est Pauli III. in comp. priv. Soc. Jesu, v. Commutatio, n. 1. concedentis Confessariis Societatis Jesu, posse commutare omnia vota, exceptis prædictis quinque. Et quidem Noster Pater Generalis hanc facultatē omnibus Confessariis juxta Tridentinum approbatis communicat.

47. Secundo